

litione latenter frivola : agemus tantum de tertia specie latenter probabili, sub qua respectu Judicis includitur latenter frivola. Quia ratione & Innocentius hic num. 1. ponit tres tantum species appellacionis: videlicet frivola, cui nunquam est defendendum & expresse concessam a Jure: cui semper est defendendum; & media, ut cum quis gravatur in casu in quo appellatio non est a Jure expresse concessa: veluti si datur dilacione vel nimis brevis, vel non tot quot sufficiat.

Demum extra dubium est, non obitante clausula appellacione remota: appellacionem probabilem quae a Jure non indulgetur expresse, admittendam esse ad effectum devolutivum quia talis clausula appellacionem devolutivam non tollit, ut sediti supra in ultimo notat. num. 15.

Quibus ita constitutis, dubium ad hoc restringitur: videlicet an Jure datus cum clausula appellacione remota, teneatur deferre appellacioni probabili & ex justa causa interposita: quae tamen a Jure non indulgetur expresse.

Glossatores hic & in cap. Ut debitis infra eodem de alibi ubicumque attingunt hunc articulum, communitur in ea sunt opinione, ut hodie clausula appellacione remota: nullus sit effectus; & quidem respectu appellacionis manifeste frivola & respectu appellacionis quae expresse indulgetur a Jure: hoc est clarum. Quo vero ad appellacionem probabilem movetur, quia praedicta clausula non tollit appellaciones in Jure expressas, ut hic dicitur. Sed hodie in Jure expressum est, ut licet appellare ex quacunque causa probabili: ut in dicto cap. ut debitis infra eodem. Ergo hujusmodi clausula non tollit appellacionem ex quacunque causa probabili interpositam. Atque ita in effectu glossae sentiunt hanc Decretalem esse correctam per illud cap. Ut debitis; & consensit Innocentius hic num. 1. vers. Sed hodie remota est haec Decretalis & in dicto cap. Ut debitis, dicens hoc esse tendendum, licet alii aliter somniaverint. Et pro hac opinione videtur textus in capite Edoceri supra de rescriptis, ubi quavis inhibita sit appellatio: tamen potest ex rationabili causa appellari.

Sed his non obstantibus in oppositum est magis communis opinio quam tenent hic Abbas Antiquus num. 3. & 4. Host. num. 8. vers. Sed si bene advertas. Joannes Andreas num. 13. Collecta. in principio. Bellamera num. 3. in 2. & 3. quae. Butrius num. 5. & 7. & communitur Doctores sequentes, ut testatur Abbas Siculus num. 8. & sequitur Philippus Franch. col. 3. vers. Sit ergo conclusio: dicens ita residere communitur omnes Doctores hic, ut in dicto cap. Ut debitis. Haec igitur sit conclusio, ut Jure procedens cum clausula appellacione remota, non teneatur deferre appellacioni ex causa probabili interposita quae in Jure expresse non approbatur; & hoc caput non sit correctum per Decretum Ut debitis, quod evidenter probatur triplici consideratione. Prima consideratio est, quia textus in cap. Inquisitioni infra eodem: qui emanavit post Decretalem Ut debitis, decidit clausulam, appellacione remota in medio litterarum appositam referri ad precedentia, quibus annexitur; non autem ad sequentia. Quod utique ille textus non fecisset, si hujusmodi clausula post caput Ut debitis nihil operaretur. Secunda consideratio est, quod illud caput Ut debitis non loquitur de appellacione interponenda a Sententia definitiva; sed ab interlocutoria tantum. Hoc autem caput loquitur indefinite & sic de appellacione, tam a definitiva quam ab interlocutoria. Ergo non est verisimile ut illa Decretalis voluerit hanc corrigere indifinitam. Tertia & validior consideratio est, quia praedictum caput Ut debitis, non loquitur in Jure dato cum clausula appellacione remota; hic vero deciditur casus in quo specialiter remota est appellatio in rescripto. Ergo (ut verbis Hostiensis utar) quae necessitas, quae utilitas, quae justitia, quae ratio: imò potius quae infantia est, ut quesionem specialem tam ferocem, tam rationabiliter cum distinctione hic solutum per illam generalem Constitutionem cogat dicere abrogatam? Nec est haec sana doctrina secundum quam speciei per genus detrahatur: Imò potius edocemur in omni parte Juris generi per speciem derogari, lege In toto ff. de regulis Juris; & notatur in cap. 1. ad finem supra de rescriptis & in cap. Studuisti, §. 1. in principio de Officio Leg. Ita Hostiensis, cujus verba transcriperunt Joannes Andreas num. 13. Bellamera in 3. quae. & alii praecitati.

Non obstat textus in dicto cap. Edoceri de rescriptis, quia

dum decidit a Sententia Judicis procedentis appellacione remota: posse appellari ex rationabili causa, intelligi debet, id est in Jure expresse, ut sic illa Decretalis declaretur per illam ut lege Non est novum cum legibus sequentibus, ff. de Legibus secundum Hostiensis hic num. 2. in verbo Expresse & Joannem Andream eodem numero & verbo.

Ex his habes primum effectum hujus clausulae appellacione remota, quia tollit omnem appellacionem: quae expresse non reperitur a Jure concessa, ut fuisse ostensum est supra.

Secundus effectus est, quia Jure a quo non tenetur hujusmodi modi appellacioni deferre, ut similiter patet ex dictis: unde & poterit Sententiam suam executioni demandare, ut colligitur ex cap. Pastoralis, §. Praterea de Officio Delegati; & sic notat Abbas num. 9. cum enim appellatio aliam suspendat jurisdictionem Judicis a quo: hunc effectum tollit clausula, quia jurisdicchio non suspenditur: etsi Jure a quo deferat appellacioni; vel nisi fuerit inhibitus a Jure ad quem, ut cap. Romana de appel. lib. 6. vel nisi Superior deliberet de appellacione admittenda; tunc enim primi Judicis jurisdicchio suspenditur ab eo tempore quo ex certa scientia appellacionem admittit, ut dicto §. Praterea & notat Butrius hic num. 5. vers. Primo enim appellat.

Tertius effectus qui ex praecedenti consequitur est, quia Jure non deferens appellacioni quantumcumque probabili non incidit in poenam, cap. Decreto 2. quae. 6. ex quo appellatio a Jure non indulgetur expresse; hoc enim facit Juris autoritate: unde Principi Majestatem non contemnit nec peccat, cap. Qui peccat 23. quae. 4. & lege Graechus, cod. ad legem Juliam de adul. secundum Hostiensis hic num. 9. Butrium numero tertio, versiculo Ex hoc secundo & Abbatem num. 10.

Quartus effectus est, quia cum innovata post appellacionem interpositam ante omnia revocari debeant per Judicem appellacionis tanquam attentata, ut cap. Non solum infra eodem lib. 6. hoc operabitur clausula appellacione remota, ut non revocentur per viam attentati vel nullitatis; & ita tenent omnes teste Franch. hic col. & Puteus decij. 328. in primo libro 2. Quoniam cum jurisdicchio Judicis a quo, non sit suspensa, processus non est irritus: nisi in casibus quos posui supra proxime in secundo effectu. Per Superiorem tamen poterit revocari per viam querelae, ut concludunt Hostiensis num. 9. vers. Quartus quod si pendente, Joannes Andreas num. 4. in verbo Evidenti, Butrius num. 5. vers. Tertius effectus, Abbas n. 11. & plerique alii.

Hic sunt praecipui effectus clausulae appellacione remota. Sed in universum Philippus Franch. hic col. 3. circa medium, versiculo, Operatur ergo primo: prosequitur septemdecim effectus, quos praedicta clausula operatur; & octodecim Praepositi numero 32. versiculo Succedit tertia quae. principalis.

Adverte tamen ad id quod idem Praepositi dixit num. 22. videlicet de consuetudine clausulam appellacione remota, nichil operari allegando Hostiensis in summa de Officio Delegati, §. Quod sit ejus Officium, vers. Quod autem haec clausula, Speculator eodem titulo, §. In quibus, vers. Ego dico, Lupus alleg. 128. Angel. in lege finali, cod. de sent. & interloc. omnium Judicum & Butrius hic circa finem. Adverte, inquam, ne decipiaris; quia hoc intelligi debet quando hujusmodi clausula apponitur in litteris executorialibus quae expediuntur per contra dictas: ex quo dantur sine aliqua cognitione causae & passim in omnibus clausulae apponitur; & hoc casu tenenda est opinio Hostiensis ubi supra, nam ut ait Baldus hic n. 1. oppos. cum hodie dicta clausula apponatur potius de Jure generali (intellige in litteris executorialibus) quam de ministerio speciali, sonat potius in quamdam monitionem: ostendit ut non destruat appellacioni frustratoria, quam quod in aliquo deroget & Juri communi. Haec Baldus. Secus vero si dicta clausula apponatur in rescripto commissionis, quia cum Princeps vel Signatura talem clausulam non apponat: nisi cum causae cognitione: tunc bene operatur effectus suos. Ita singulariter declarat Rota apud Puteum decisione 328. incipiente In una Hispan. lib. 2. de quo die latius, ut scripsi in cap. Studuisti in prima quae. numero 40. supra de Officio Legati.



DE APPELLATIONIBUS.

Honorius III. Decano Cancellario, & Cantori Lincolnien.

CAPUT LXII.

CUm causam, quae inter Abbatem & fratres de Valle sancti Joannis ex parte una, & Priorem & Canonicos de Novo loco ex altera, super Ecclesia de Holisteth veritum, R. sancti Angeli Diacono Cardinali commiserimus audiendam: & infra. Procurator praedictorum Prioris & Canonicorum proposuit, quod cum coram subdelegatis judicum delegatorum inducias ad proponendum exceptiones dilatorias petisset: quia advocatus ipsius ductus errore respondit, quod Ecclesia de Novo loco, Ecclesiam, de qua erat quaestio, per quadraginta annos & amplius pacifice possederat, licet ipse eadem die advocati errorem corrigens, ipsius responsionem, quae sua petitioni contradicere videbatur (ne per eam aliquod sibi posset praedictum generare, pro eo quod ante litis contestationem sunt exceptiones dilatorias proponenda) coram eisdem judicibus revocavit. Judices tamen per hujusmodi responsionem erroneam advocati, litem contestatam fore credentes, ad receptionem testum partis alterius processerunt: & infra. Mandamus, quatenus si dicti Prior & Canonici legitime probaverint, quod per Procuratorem ipsorum eadem die advocati responsio extiterit revocata, quia sic per consequens lis contestata non fuit: vel quod delegati testes receptos a subdelegatis subdelegatorum suorum approbaverint: cum nonnisi delegatus a principe causam alii valeat delegare, quiddam ab ipsis post appellacionem eorum factum est (dummodò haec in appellacione ipsa expressa fuerint) nuntiatis irritum & inane.

SUMMARIUM.

- 1. **A**d vocati confessionem eadem die revocantur, si Jure veli habere pro his comm. facta vel processum Subdelegati ratificet: ab eo licite appellatur.
- 2. Delegatus ab aliquo quodam a Principe, non potest causam alteri delegare.
- 3. Delegatus ab inferiore a Principe ad universitatem causarum potest unam causam subdelegare.
- 4. Delegatus ad universitatem causarum Ordinarium aequiparatur & num. 15.
- 5. Et idem potest quod Ordinarius. Et ab ejus sententia non appellatur ad Delegatum; sed ad Superiorem ipsius Delegatum, num. 7.
- 6. Ordinarius dicitur, cui causarum universitas est commissata.
- 8. Auditor Nuntii, an possit cognoscere causas ad Nuntii forum pertinentes: quatenus non habeat requisita c. Statutum de

- refert. l. 6. & Conc. Trid. c. 19. f. 24. & n. sequenti, in finem.
- 9. Auditores Nuntiarum non possunt cognoscere causas appellacionum a Sententia Episcopi vel ejus Vicarii in criminalibus lata.
- 10. Et Sententia ob eis lata in causis appellacionum, hujusmodi non sustinetur ex communi errore.
- 11. Auditores Legatorum, an habeant jurisdictionem ordinariam vel delegatam & num. sequ.
- 12. Legati aequiparantur Proconsulibus Provinciarum. Legati Proconsulibus delegatam habent non ordinariam jurisdictionem, ibidem.
- 13. Auditores Legatorum, an censentur Ordinarii: licet causas cognoscant ex delegatione speciali.
- 14. Ordinarius ex speciali commissione non efficitur Delegatus.

Cum causam. Si Jure confessionem Advocati eadem die revocantur pro lite contestata velit habere, vel processum a subdelegato factum ratificet, ab eo licite appellatur. Hoc dicit secundum Joan. Andr. & omnes.

In glossa in vir. Delegatus circa finem, vers. Et quod dicitur. Nota bene hanc glossam, quia est Delegatus ab alio, quam a Principe non possit causam alteri delegare, ut dicitur hic in textu circa finem: tamen ut dicit gloss. hoc intelligitur de eo qui est Delegatus ab inferiori a Principe ad unam causam tantum: scilicet vero si ei esset delegata universitas causarum, quia tunc bene possit causam alteri subdelegare, leg. Cum Prater §. 1. ff. de Jure leg. Legatus, secundum unam lecturam, de qua ibi in gloss. unice. ff. de off. Proconsul. & Legat. & voluit Barr. in leg. More n. 11. ff. de jurisdic. omnium Judic. dicens id committere teneri & pondera rationem in gloss. nostra expressam, quia talis Delegatus ad universitatem causarum quasi Ordinarius videtur: & cum gloss. concordant hic Hostiensis. n. 3. Joann. Andr. num. 6. Butri. num. 11. vers. Haec vero dicit: & re-

liqui omnes; & sic non est verè & proprie Ordinarius, sed Ordinarius similis, ut per Jason. in dict. leg. More n. 19. circa medium, vers. Et idem respondendo & tenet umbram Ordinarii, ut inquit Butr. ubi supra; & Ordinarius & Delegatus ad universitatem causarum aequiparatur gloss. 1. in l. fin. Cod. de judic. Barr. in dict. leg. More n. 5. vers. Venio ad fin. ff. de jurisdic. om. Judic. & ibi etiam Jason. dicto n. 19. Alexand. co. f. 12. Viso processu n. 4. lib. 6. Felin. alios cumulans in c. Qualiter & quando, il. primo n. 47. de accusat. Bald. in leg. si ut proponit la prima, num. 16. Cod. quomod. & quando. jud. ubi ait Delegatus ad universitatem causarum, cum remaneat in essentia Jurisdictionis universalis, idem posse quod Ordinarius. Quin imò gloss. appellat eum Ordinarium in c. Statutum, ff. Insuper in verb. Moderatas, de refer. lib. 6. prout illam gloss. ad hoc ponderat Jason. loco citato. Item Specul. in tit. ff. Ordinar. n. 2. ait Ordinarius qui cum universitatis causarum est commissata; & idem dicit Petr. de Anchar. in c. Laetè iudicium col. 2. ad finem, vers. Nec mirum, de off. Prelat. Quo fit, 7 ut a sententia Delegati ad universitatem causarum non ap-

pelletur ad Delegantem, quali idem sit tribunal, sed ad Superiorem inquit Delegantem, ut leg. 1. in finem, ff. Qui & a quib. appellat. & argum. c. 2. de consuet. lib. 6. & leg. 19. circa med. vers. Et adeo respondendo, ff. de Jurisd. omn. jud.

Hinc sumpta occasione. Quero, an Auditor Nuntii Sedis Apostolicae possit cognoscere causas ad Nuntii forum pertinentes, quamvis non habeat qualitates requisitas in e. Statutum, de refer. lib. 6. nec sic deputatus in Sinodo Dioecessana juxta Decretum Concilii Tridentini c. 10. sess. 25.

Si queratur de causis appellationum a sententia Episcopi, vel ejus Vicarii in criminalibus lata, jam Sacra Congregatio declarat Auditor Nuntii non posse eas cognoscere, obitareque c. 2. sess. 13. Ac postea adjectis sententias Auditoris in causis hujusmodi appellationum latas ex communi errore non sustineri, & hae declarationes audiuit partibus editae misse fuerunt ad Nuntium Florentinam.

Quoad alias causas appellationum non comprehensas in dicto cap. 2. remanet dubium: an Auditor Nuntii eas possit cognoscere, quamvis nec sit in dignitate Ecclesiastica constitutus, nec in Sinodo Dioecessana deputatus juxta dictum cap. Statutum & Decretum Concilii dict. cap. 10. In qua difficultate Corneus in cons. 48. Responso Divino Nuntius, latissime discussa in 2. dubio n. 3. volum. 1. aperte sentit Auditores Legatorum etiam de latere non habere ordinariam Jurisdictionem, sed tantum delegatam, reddique optimas rationes, inter quas ea est praecipua, quod Legati & Legati Proconsulis Provinciarum, cap. 2. de offic. Legat. lib. 6. Legati autem Proconsulis delegatam habent, non ordinariam Jurisdictionem, leg. Legati Proconsulis, ff. de offic. Proconsul. Quae opinio si vera sit inde sequitur, ut ipsi Auditori causae committi non possint, nisi concurrant in eo qualitates, dict. cap. Statutum & decreti, dict. cap. 10.

Verum quia haec opinio totum fere orbem commoveret ob innumeras propemodum sententias latas & quae passim feruntur ab Auditoribus Nuntiorum non habentibus haec qualitates, videtur potius adhaerendum sententiae, ut Auditores Nuntiorum sint Ordinarii & sic neque comprehendantur in cap. Statutum, neque in Decretum Concilii. Ad quod probandum adducitur Bald. in leg. fin. n. 4. Cod. ubi Senar. vel claris, qui tamen id hoc praesupponit quum dicitur: non enim ibi queritur, an sint Ordinarii, sed praesupponentes duos Auditores Cardinalis Sabiniensis esse Ordinarios, querit, an ex eo quod non cognoscebant causas nisi ex delegatione specialii, censebantur delegati & putat non ceteri Delegatores, sed Ordinarios, quia illa est potius distinctio causarum, ac partitio curae, quam vera delegatio. Quae doctrina vera quidem est postquam sint Ordinarii: Nam ex illa specialis commissio non efficiuntur delegati, quod scripsit Pavin. in tract. de off. & potest. cap.

Sede vacante in 1. qu. prima partis princip. num. 4. Vant. in tractat. de nullitat. tit. Coram quo num. 14. Verum Bald. ut dictum est, ibi non disputat, an sint Ordinarii, vel delegati, sed tantum supponit esse Ordinarios sententia ex speciali commissione non efficii ex Ordinariis Delegatis, sed remanere Ordinarios, ut prius erant. Quod potuit contingere, quia forte a Principe essent constituti Ordinarii & deputati Auditores Nuntii, sed quia hoc est divinare; idem Bald. pro hac sententia simpliciter refertur Jafon. in leg. Ex hoc iure, ff. de just. & jur. num. 8. in 2. limitat. Felin. in cap. Sunt & alii, vel in cap. Nonnulli §. Sunt & alii num. 49. vers. Pro ista opinione de refer. Joan. Bapt. Ferrer. cons. 204. num. 19. & 20. & Jegg. & Pavin. dicto loco num. 3. in fin. Hae itaque opinio videtur esse communior & certe tutior est, quam ut usque praxis quotidiana comprobavit; licet opinio Cornelii in puncto juris forte videri possit venior & solidioribus nixa rationibus, ex qua opinione communi sequitur resolutio ad dubium: nam cum Auditores Nuntiorum ex praedicta opinione sint Ordinarii, in eis non potest habere locum cap. Statutum, nec text. Concilii loquens de illis, quibus deleganda sunt causae, quamvis enim Nuntius et specialiter causas committat, et Ordinarius non efficii propter ea delegatos, sentit Doctores citati a Vant. & Joan. Franc. Pavin. in locis supra allegatis.

Præterea etiam hujusmodi Auditores essent delegati, non tamen videntur in eis habere locum e. Statutum & Decretum Concilii loquentis de causis delegandis: nam Delegatus ad universitatem causarum equiparatur ordinario & tenet gloff. penultim. hic & fuit ostensum de supra n. 4. Concilium vero jure voluit, ut tam Sedis Apostolicæ Nuntii, quam Legati causas in partibus committendas personis designatis in Sinodo committerent, ne ex ignorantia personarum rudes & signari ad causas cognoscendas delegarentur. Quae ratio non procedit in Auditoribus Nuntii, qui ab ipso ad causarum universitatem deligunt.

Ad haec ita Concilium videtur esse intelligendum ex consuetudine ita observata, quae est optima Concilii interpret. 1. Si de interpretatione, ff. de legib. cap. Cum dilectus de consuetudin. Nam semper Auditores etiam non designati in Sinodo, & non praediti qualitatibus requisitis in cap. Statutum; causas cognoverunt & deciderunt. Quae omnia in dubium revocarentur, si exceptio nullitatis ex hoc capite esset admittenda. Valide igitur, nisi aliud obiter, esse videntur hujusmodi sententiae ad Auditoribus Nuntiorum latas, sed ad tollendam omnem difficultatem expedire videtur, ut facultas sua, si ita ei vilium fuerit, per Breve eisdem Nuntio directum declarat licuisse auditori praedicti ad nuntio electo & deputato hujusmodi causas cognoscere, quamvis non haberet qualitates in cap. Statutum, nec esset in Sinodo Dioecessana deputatus. Atque ex hoc capite sententias ab eo latas, ac ab eo, aliisve Auditoribus de cetero ferendas minime impugnari, aut nullas dici posse, vel debere.

DE CONFIRMATIONE.

UTILI VEL INUTILI.

Alexander III. Exonen. Episcopo.

CAPUT I.

SI quis rei litigiosa confirmationem impetravit ab Apostolica Sede, non minus potest iudex de causa cognoscere, & eam sine debito terminare. Sed si rem tunc pacifice possidebat, cum inde confirmationem obtinuit, non est licitum iudici de quaestione postea exorta decernere, aut eam definire, absque Sedis Apostolicæ mandato.

SUMMARIUM.

- 1 De re scilicet confirmata per Papam iudex inferior non cognoscit, nisi tempore confirmationis res esset litigiosa, vel confirmatio aliis subreptitia.
- 2 Confirmatio rei litigiosa etiam ex certa scientia, non facta mentione litis, est ipso iure nulla, nec impedit iudicem in causa procedere.
- 3 Declaratur, num. 17.
- 3 Impetratio subreptitia privilegii, vel beneficii non valet.
- 4 Iudex potest in causa procedere non obstante; privilegio post notam litem impetrato, si in eo litis mentio facta non fuerit. Aliis secus, & n. 17.
- 5 Possidere quis non dicitur rem pacifice, si super ea quaestio sibi moveatur.
- 6 Litigiosa res est, de cuius dominio causa movetur inter petitorem & possessorem iudiciali contentione. 7 Idem

De confirm. util. vel inutil. c. Si quis.

- 7 Idem si causa moveatur de quasi dominio directo, vel utili.
- 8 Litigiosi vitium non nascitur super bonis, si actio personalis fuerit intentata.
- 9 Litigiosi vitium non inducitur super proprietate, si litis moveatur super possessione.
- 10 Possessio tamen efficitur litigiosa.
- 11 Confirmatio ex certa scientia quando dicatur & n. 28. & 29.
- 12 Confirmatio in qua inferitur tenor rei confirmata, dicitur in forma specifica.
- 13 Confirmatio in qua exprimitur substantia rei, probat absque eo quod doceatur de confirmato.
- 14 Confirmatio ex certa scientia ligat manus iudicis, quominus possit cognoscere de quaestione exorta super re confirmata.
- 15 Nisi constat notorie confirmationem esse subreptitiam, & n. 17.
- 16 Iudex inferior non cognoscit de quaestione, an confirmatio Apostolica sit valida, necne. Et quid post Conc. Trid. n. 26.
- 18 Confirmatio in forma communi, qua fit.
- 19 Parum, aut nihil operatur.
- 20 Non impedit iudicem cognoscere de re confirmata. Ad quid impetratur, n. 22.
- 21 Dat causam & titulum legitimum praescribendi, n. 23.
- 21 Confirmatio sine causa cognitione, an sit vera, vel falsa, solus Papa cognoscit & n. 29.

SI quis. De re scilicet confirmata per Papam iudex inferior non cognoscit: nisi tempore confirmationis res esset litigiosa, vel confirmatio aliis subreptitia. Hoc dicit cum cap. leg. & sunt duo dicta secundum ibi Sed. ff.

Nota primò ex prima parte textus, confirmationem à Sede Apostolica impetratam, licet pendente, nullam esse ipso iure; adeo ut ea non obstante, possit iudex causam cognoscere ac definire perinde ac si confirmatio non emanasset, ut hic notant Abbas & Decius ambo in 1. notab. quod verum est etiam si confirmatio emanaverit à Papa ex certa scientia & cum causae cognitione; de hac enim intelligunt huc textum Abbas Antiquus, Joannes Andreas, Baldus, Bellamera, Cardinalis Ancharus, Abbas & Decius de Anania omnes in principio; & bene quidquid dicit Joannes hic in 3. notab. nam cum textus dicit Iudicem posse cognoscere, si confirmatio sit rei litigiosa & non posse cognoscere, si sit rei pacifice possessae; utique necessario supponit utroque calu confirmationem emanasse ex certa scientia; alias enim hic sub communi forma, live res esset litigiosa, live non: indistincte posset iudex in causa procedere, ut tangeret in glossa ultima num. 14. & hoc est ex mente Innocentii dicens hunc intellectum esse planiorum num. 1. versiculo Planior est intellectus. Praedicta tamen procedunt, dummodo in litteris confirmationis non sit facta mentio litispendentiae; tunc enim confirmatio respectu illius rei super qua litis vertitur, est subreptitia & ipso iure nulla, cap. Ad nostram ibi denunciatis irritas & inanes & cap. Porrecta ibi, denunciatis non valere infra eodem. Et est communis regula non solum in confirmationibus; sed etiam in privilegiis, Beneficiis, ut impetratio subreptitia non valeat: ut notat Calderus. in cons. 1. de feudis. Decius hic num. 3. & scripti plenius in cap. Ad audientiam, ille secundo post Abbatem & Felinum supra de refer. & tenet hic Innocentius num. 1. vers. Imò quod plus est: dicens Iudicem posse procedere, non obstante privilegio post motam litem impetrato, in quo litis mentio facta non fuerit per caput Causam, ille secundo supra de testam. secus vero si in confirmatione vel privilegio diceretur, non obstante quod rei sit litigiosa; quia tunc illa causa impetratur à jurisdictione Iudicis inferioris, ut cap. finali ibi de dicta quaestione facta mentio non fuisse supra, ut hic pendente secundum Innocentium hic numero 1. cui subiciuntur Hostiensis eodem num. vers. Sed secundum Dominum nostrum. Joannes Andreas num. 5. Butrius, Imola, Abbas & Decius, omnes in 1. notab.

Secundo nota ibi, sed si rem tunc pacifice possidebat, quem non dicit pacifice rem possidere, si super ea quaestio sibi moveatur, ut hic notant Butr. & Imol. ambo in ult. notab. Abb. num. 3. & Dec. num. 19. Car. in Clem. Gratia in 3. q. de refer. Archid. Joan. Andr. & Gemin. in c. Commissa, de elect. lib. 6.

Adverte tamen, quia per hoc res ipsa non efficitur litigiosa, nisi quaestio, seu litis moveatur inter petitorem & possessorem iudiciali conventionem dicit text. in Auth. Litigiosa, c. de Litigiosa. & ibi notant Jacob. Butr. Bald. & Sa-luc. omnes in Summario, Old. Cyn. uterque n. 1. Petr. de Bellapert. vers. Dicit enim, Holt. in c. Ecclesia Sanctae Mariae n. 2. sup. ut lit. pendet. Et idem dicendum si litis moveatur super quasi dominio directo, vel utili, puta per Publicianam in rem, actionem, vel aliquam utilem rei vendicationem, ut notat gl. in d. Auth. Litigiosa in ver. Doctores in II. Lib. Decretal.

- 24 Concordia à Sede Apostolica confirmata non sunt sublatæ à Conc. Trid. c. 6. sess. 25. & num. 34.
- 25 An hoc praescribat tantum in confirmationibus ex certa scientia an verò etiam in confirmationibus in forma communi & num. Jegg. usque in fin.
- 26 Confirmationum Apostolicarum Concilium Trident. non meminit, nisi in cap. 14. sess. 24.
- 27 Confirmatio in forma communi & ex certa scientia in quibus differant.
- 28 Confirmatio an sit ex certa scientia, si fiat cum clausula, sicut iulle possidet.
- 29 Et quid si cum clausula, ex certa scientia.
- 30 Confirmatio ut suos producat effectus, duo requiruntur, id est ut fiat ex certa scientia & cum causa cognitione vocatis partibus.
- 31 Juramentum est factus vinculum, quàm confirmatio in forma communi & firmat actum validum.
- 32 Concordia, ut fiat realis & obligat successores, debent esse confirmata ex certa scientia; alias sunt personales.
- 33 Per confirmationem in forma communi: Papa non censetur praedjudicare Ordinariis.
- 35 Confirmationis appellacione, in dubio venit illa qua fit ex certa scientia.
- 37 Concordia à Sede Apostolica confirmata in forma communi, intelligitur derogatum à Concilio Tridentino: etiam si cum eo concurrat immemorabilis consuetudo.
- 38 Consuetudines à Sede Apostolica confirmatae, an Concilium Tridentinum sustulerit.

minio, Odofred. Bellapert. & Holt. locis cit. Secus verò si actio personalis fuerit intentata, quia ex hoc vitio bonis vitium litigiosi non nascitur, ut est text. in l. Quamquam, §. Julian. ff. de aqua plu. arc. & voluit Rota dec. 173. n. 6. par. 7. recent. Item secus si quaestio moveatur super possessione, quia per hoc vitium litigiosi non inducitur super proprietate, & ita intelligat gl. primam, hic secundum Abb. num. 5. Albertic in d. Auth. Litigiosa n. 1. Cassad. dec. 6. n. 2. de refer. Sarnen. in rpg. de Trienal. quast. 53. num. 8. Sed tamen possessio ipsa, super qua litis movetur controversia, efficitur litigiosa, & ita procedit hoc c. ut declarat Abb. d. num. 5. vers. Secundo potest, Gravet. in cons. 279. Versi alius n. 3. vers. Praesupposito, & fuit resolutum in Rot. ut refert Lancell. de attent. par. 2. cap. 4. in pref. num. 493.

In gl. ultima nota confirmationem esse in dupli diff. rentia. Alia est, quae conceditur ex certa scientia, & cum causae cognitione, veluti cum totum negotium fore Papae reservatum, & ipse nulla conditione adiecta simpliciter confirmat; tunc enim intelligitur confirmare ex certa scientia, ut hic firmat gl. nostra post medium, vers. Et hoc intelligitur, Abb. Antiq. n. 3. & Abb. Stiel. n. 6. vers. Et dicitur ex certa scientia, & idem est si in litteris inferatur tenor rei confirmatae, c. Venerabilis inf. eo. Rot. in recent. dec. 157. n. 8. par. 6. quo casu dicitur confirmatio in forma specifica, ut per Rotam dec. 222. n. 12. & 13. par. 7. recent. Et ubi fuit expressa substantia rei, confirmatio probatur absque eo quod doceatur de confirmato, ut decidit Rota dec. 36. n. 1. & Jegg. part. 2. divers. ff. dec. 226. n. 22. par. 7. recent. Et talis confirmatio habet tres effectus, quos notat gl. in c. Cum accessissent in ver. Confirmatum super de Consuet. & fufius prosequitur Abb. hic num. 6. & 7. Sed quod pertinet ad textum nostrum, haec confirmatio ligat manus iudicis, quominus possit cognoscere de quaestione exorta super re confirmata, sine mandato Papae, ut hic est casus in fine, & ita intelligi debet Vincentius hic allegatus in gl. ult. nisi tamen confirmatio esset subreptitia, puta, quia fuit obtenta super re litigiosa non facta mentione de lite, vel alio modo peccat in subreptione; tunc enim quavis iudex inferior non possit cognoscere de quaestione orta, an ipsa confirmatio valeat, necne, secundum opinionem Laurentii, quam dicit veram Bernardus hic in ult. gl. ante medium, vers. Laurentius dicit: & tacite approbavit Tridentina Sinodus in c. 14. sess. 24. ut dicam infra. num. 26. tamen non impeditur cognoscere de re confirmata, quia si certum esset confirmationem fuisse obtentam per falli suggestionem, impetratio non valeret, ut c. Proxim. inf. eo. & probatur hic in prima parte textus, & fuit, quam hic sequitur gl. ult. in fin. & Rota dec. 351. n. 14. part. recent. Ad hoc tamen requiritur, ut notorie constet de vitio subreptionis, puta ex partis confessione, vel ex tenore ipsius Bullae, secundum Innoc. in c. Jegg. in fin. & Abb. n. 8. vers. Et hoc intelligit, & vide quod legitur, & notatur in c. Cum venissent super de judic.

Alia est confirmatio, quae conceditur in forma communi, & videlicet adiecta conditione, si iuste, canonice, aut provide factum sit, vel alia similibus, ut per Abb. hic n. 6. vers. Et dicitur, quae hodie in confirmationibus statutorum & privilegiorum ex illis consuevit exprimi per illam clausulam,

194 Dimmodo sacris Canonibus, Tridentini Concilii Decretis, & Constitutionibus Apostolicis non adversentur: & ubi confirmatio, seu innovatio nihil novi juris tribuit iuribus hic allegatis in gl. 2. camque parum, nec nihil valere asserunt hic gl. ult. Abb. Antiq. n. 2. vers. Aut non apponitur, Bald. num. 2. Abb. Sicul. n. 6. & passim alii, Callador. dec. unie. h. t. Rota dec. 84. num. 8. par. c. recent. Unde per huiusmodi confirmationem non precluditur via iudicij ordinario cognoscendi de validitate iuris confirmati, c. Bone inf. eo & cap. Quia diversitate, de concess. grab. & in hoc convertunt omnes: & est ratio secundum gl. 2. quia Summus Pontifex censetur hoc facere sine alicujus preiudicio, ut patet in iuribus preallegatis, & in c. fin. ubi gl. unie. infra eo. Bald. hie n. 10. Rota dec. 356. n. 19. par. 216. recent. Ceterum est iudex, ut prædixi, non impediat cognoscere de validitate iuris confirmati, tamen si questio sit, an confirmatio ipsa obiciatur sine cause cognitione sit vera, vel falsa, solus Papa cognoscit, ut post Innoc. firmat Bald. hie n. 5. Sed dices, Ad quid ergo prodesset talis imperatio? Respondeo cum gloss. 2. & Abb. n. 6. parum prodesse, & imperationem fieri ad cautelam, ne videatur iure scientia Papa processisse, & ad hoc ut ob illius reverentiam magis timeatur, arg. c. Quamquam 23. dist. Adde tu alium effectum valde notabilem huius confirmationis, vel privilegij sub communi forma, quem tangit Abb. Antiq. hie n. 2. vers. Sed die, & in c. Dudum n. 2. vers. Et est nota dignum infra de dec. quia scilicet dant causam, & titulum legitimum præscribendi: ad hoc c. Cum persona, §. Quod si tales, de privileg. lib. 6. Quæro, postea decisione Sac. Congregationis Concilii, qua declaratum fuit, concordias à Sede Apostolica confirmatas non esse sublatas decreto Conc. Trid. c. 6. sess. 25. An huiusmodi decisio vendicat sibi locum in confirmationibus tantum, quæ emanant ex certa scientia, & cum causæ cognitione; an vero etiam in confirmationibus in forma Communi.

26 Confirmationes Apostolicæ ex certa scientia emanatæ, nullo casu per Concilium Tridentinum videntur sublatae; observandum est enim, de confirmationibus Apostolicis expressam mentionem haberi duntaxat in cap. 4. sess. 24. ubi solum tribuitur facultas Ordinariis, tanquam Sedis Apostolicæ Delegatis cognoscendi de earum subreptione & obreptione & intentionis defectu, quæ facultas alias Episcopis non competebar in cap. proximo infra eodem & dictum est supra num. 16. & 21. Quippe Patres Concilii, pro debita reverentia, de Provisionibus Apostolicis iudicari noluerunt, nisi marurè & Apostolicâ auctoritate, quæ reverentia in plurimis ejusdem Concilii Decretis elucet.

Pro solutione dubij præmittendum videtur, hanc distinctionem confirmationum esse legalem, ut patet in cap. Quia diversitatem de concessione prebendarum & in cap. Ita, ne Sedes vacante: quibus in locis sit expressa mentio de confirmationibus in forma communi ad differentiam aliarum quæ emanant ex certa scientia & cum causæ cognitione. Item esse realem & diversos inter se effectus producere, ut per glossam in dictis Juribus & in cap. Pastoralis, §. Præterea de Officio Delegati. Hollient. in summa de confirmatione utili vel inutili. Callad. decisioe unie. eodem titulo & patet ex dictis supra num. 11. & 18.

28 Præmittendum secundo, ad discernendas invicem has confirmationes, tradi à Doctoribus & glossis regulas; nec esse tutum dicere illas esse in forma communi, in quibus apposta est clausula sicut sine gravitate vel sicut iuste possides, ut dicebat Abbas antiquus hie num. 2. quia hæc verba possunt sumi conditionaliter & casualiter, ut notat alter Abbas in cap. Venerabilis & in cap. Examinata in fine infra eodem. Quemadmodum neque omnes in quibus ponitur clausula ex certa scientia, negant esse in forma communi, ut per eundem Abbatem; & apertius Paris. conf. 19. num. 12. vol. 1. post Aretin. conf. 15. nam duo copulative requiruntur, ut certa scientia & cum causæ cognitione, vocatis partibus, ut plenè per Rotam decis. 166. nu. 45. 8. & 14. part. 5. recent. Denique præmittendum quantum attinet ad propositam questionem, confirmationes in forma communi illas intelligi, quæ novum jus tribuunt; nec firmant ea quæ aliàs sunt ex se invalida, juxta communes traditiones; & constat ex dictis supra num. 19.

His præmissis ad propositam questionem responderetur, has confirmationes in forma communi censeri sublatas, sive assentiant concordias, sive statuta, seu alia, quæ per Conc. Trid. expressè tolluntur tam in c. 4. sess. 6. quam alibi. Probatur primò, iuramentum est fortius vinculum, quam confirmatio in forma communi; siquidem illud firmat actum invalidum, Auth. Sacramento pber. C. si adversi vendit. Paris. conf. 33. nu. 24. lib. 1. post gloss. & Doctores hie, & in c. Dilecta infra eodem. At Concilium tollit vinculum

iuramenti non obstante, quod præsupponat aliud vinculum præcedens, sive sit statutum, sive concordia, super qua interpretatur; Ergo etiam confirmatio in forma communi.

Secundo Concilium, secundum declarationem S. Congregationis præservat illas concordias, quæ alioqui reales sunt; & apte ligare successores, alias præservatio nulla esset earum concordiarum, quæ personales sunt & obligant tantum auctores, secundum ea quæ leguntur; & notatur in c. Veniens supra de transact. At solæ confirmationes emanatæ ex certa scientia reddunt concordias reales, ut obligent Successores d. c. Veniens, ubi expressè Innoc. Rota dec. 2. de confirm. util. vel inutil. in addit. in novis. Ergo Sec.

Tertio illa interpretatio faciendâ est quæ proximior est menti statuentis; & per quam omnia conciliantur, & vitantur absurda. Talis autem est hæc, quæ non solum sequitur intentionem confirmantis Papæ, qui per confirmationes in forma communi non intendit præjudicare Ordinariis, c. fin. infra eodem c. Ex parte de Constitut. c. Dudum, §. fin. de decem, & dictum est supra n. 20. Sed deservit etiam menti Patrum in Concilio, qui voluerunt tolli funditis omnia obstacula impediencia Capitulorum visitationes, scientes rara esse Capitula, quæ non possent jvari huiusmodi confirmationibus in forma communi, ut ex inspectione auctorum ejusdem Concilii plenè colligitur. Nec discrepat à sententia S. Congregationis, quæ difficilè descendit in hæc partem, per quam confirmationes Apostolicæ præservantur, ex rationibus & effectibus militans; duntaxat in confirmationibus ex certa scientia.

Accedit quod glossa antepenultima in Clementina Dudum de sepultura propter quam primò Rota, deinde Sacra Congregatio mota fuit, loquitur in pacto ex Sententia confirmata ex certa scientia, ut ex lectura & iis quæ Doctores ibidem dicunt, faciliè deducitur: Bellamera de rei. 534. quare in eisdem terminis tum decisio Rotæ, tum Sacre Congregationis declaratio erit intelligenda ad textum in lege 1. & ibi Bartolus in principio, ff. de conjug. cum emancip. liber. cum similibus, ut dixi in cap. Quoniam num. 23. supra de constit. si sola ratio duplicis vinculi talem declarationem persuasisset, eadem ratione intelligi deberent præservatæ illæ concordie quæ iuramento vallatæ & insuper Sententis essent confirmatæ, quia triplex funicularum difficultas rumpitur, cap. 1. de triuga & pace: quod tamen alienum est à Sententia, tum Rotæ, tum Sacre Congregationis.

At hæc verba declarationis debent accipi in potentiori significato, lege 1. ff. si ager rest. vel emptor. per. idè quod in 50 dubio, appellatione confirmationis, intelligitur illa quæ sit ex certa scientia. Joannes Andreas in cap. penultimo in fine. Abb. in cap. Examinata num. 5. vers. Consilium infra eodem per text. in cap. Inter dilectos de fide instrum. & in cap. Constitutus, junctâ glossa in versiculo Confirmatus de Religiosis domib. Ergo declaratio Sacre Congregationis non est intelligenda de ea quæ sit in forma communi.

Quod vero dicitur Concilium tollere concordias, quæ suos tantum ligent auctores, c. 4. sess. 6. & c. 6. sess. 25. directè adversatur dispositioni Concilii, quod imò præservat concordias quoad hunc effectum, ut suos obligent auctores, procederet propositum, quando Concilium loqueretur modo indicativo, quæ suos tantum ligant auctores. Ceterum cum loquatur modo imperativo, quæ suos tantum ligent auctores, ostendit verba hæc accipiendâ esse non demonstrativè, sed potius limitativè, quasi Concilium derogando omnibus concordias etiam illis, quæ apte erant ligare Successores, restringat obligationem ad earum puctores duntaxat, & secundum hunc intellectum textus inducitur ad probandum sublata esse, vel saltem modificatas concordias confirmatas etiam ex certa scientia; aliàs enim superflua videri posset derogatio Concilii: Siquidem omnes aliæ concordie, præter hæc confirmatas ex certa scientia, sunt personales, c. Veniens de trans. Postremò Concilium intelligendum est de vinculo Confirmationis valido, quod sit simile aliis expressis in Concilio, quæ sunt cum matura consideratione. Undè sequitur ut sit intelligendum potius de vinculo Confirmationis ex certa scientia, quod est validius, & fit cum majore deliberatione: Confirmatio enim in forma communi ex se debile vinculum est, imò nec vinculum, quia non vincit, nec fit ad vincendum, sed ut magis timeatur ob reverentiam Sedis Apostolicæ, ut fusiùs dictum est supra num. 19. & 22.

Et hanc sententiam in fortioribus terminis olim probavit S. Congregatio Concilii: nam proposito dubio, An decretum c. 6. sess. 25. intelligatur derogatum concordias confirmatas à Papa in forma communi, si simul cum ea concurrat immemorabilis consuetudo. S. Congregatio censuit intelligi derogaturam.

Porro cum Rotæ decidisset in una Salamantia, jurisdictionis c. 9. sess. 24. & c. 10. sess. 23. loquentia de visitatione & concessione dimissoria, non fuisse consuetudinem à Sede Apostolica confirmatam, S. Congregatio die 12. Januarii 1581. censuit decisionem Rotæ revocandam per ipsam

De confirm. util. vel inutil. c. Si quis. met Rotam, tanquam decretis Concilii non congruente; & permanendum in decretis aliàs ab hac S. Congregatione in huiusmodi materia editis, rationibus adductis in duobus votis; & id significandum Rotæ Auditori, coram quo causa pendet in tertia instantia. Sed prius omnia referenda S. D. N. si Sanctitas sua id fieri probarerit.

Die 16. Januarii 1581. in Consistorio Sanctissimus respondit audiendum Episcopum; & instituit propter duplex vinculum.

195 Hanc decisionem videtur secuta Rota coram Finetto in una Palentina in qua querebatur, an Archidiaconus de Cavo possit visitare in territorio sui Archidiaconatus, non servata forma decreti Concilii, & Episcopum visitantem impedire; & Rota sentit non posse nisi servata forma, non obstante vinculo simplici, scilicet consuetudinis, sententiarum Rotarum; & Confirmationis Apostolicæ.

Finis Secundi Libri Decretalium.

RUBRICÆ ET CAPITULA HUIUS SECUNDI LIBRI DECRETALIIUM.

Table of contents with columns for titles (e.g., De Appellationibus, De Priore, De Casu possessionis) and page numbers. Includes sub-sections like 'Licet', 'De Judiciis', 'De Fide instrumentorum', etc.

RUBRICAE
ET CAPITULA
HUIUS SECUNDI LIBRI
DECORATIUM



